

et sensus est, diligentibus Deum, omnia esse utilia, et cooperari ad salutem. Hunc sensum facit lectio latina vulgata, quæ reprehendi non potest, cum non sit inusitatum apud Græcos, conjungere nominativum numeri multitudinis, cum verbo numeri singularis: sed potest etiam aptissime referri verbum illud συνεργεῖ ad nomen πνεύμα, quod præcedit, ut sensus sit, diligentibus Deum, Spiritus sanctus in omnibus cooperatur ad bonum.

Neque hunc sensum adversarii rejicere possunt. Nam est omnino ad propositum, ut intelliget, qui locum ipsum leget. Et præterea est simplicior, cum συνεργεῖ sit numeri singularis, et non sit opus recurrere ad atticisimum, quod tamen oportet, si conjungatur verbum numeri singularis, cum illa voce, πάντες, quæ est numeri multitudinis.

Denique hanc lectionem, et hunc sensum sequuntur ex Græcis, Theodoretus in comment. hujus loci, et ex Latinis, S. Augustinus lib. de correptione et gratia cap. 9 et fortasse fieri potuit, ut Latinus interpret verterit, cooperatur, et vitio Scriptorum accesserit una litera et factum sit, cooperantur. Spiritus igitur secundum hunc sensum, quem (ut dixi) adversarii repudiare non possunt, et Petrus Martyr, et Erasmus in comment. repudiare non audent, cooperatur nobis in omnibus operibus sanctis et salutaribus.

Alterum testimonium sumitur ex illis locis, quæ imperant, aut suadent hominibus opera pietatis, et ipsam etiam conversionem ad Deum, de qua maxime litigant adversarii. Stultum enim esset imperare, aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem, ut in libro superiore disputabamus de præcepto et suasionem operum moralium. Zachar. I: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Joel. II: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Hierem. III: *Tu fornicata es cum amatoribus plurimis, verum tamen revertere ad me.* Ezechiel. XVIII: *Facite vobis cor novum et spiritum novum.* Isai. I: *Lavamini, mundi estote.* Joan. VI: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et petentibus Judæis: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* respondet Dominus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (1).

(1) Zach. I, 3; Joel. II, 12; Hier. III, 1; Ezech. XVIII, 34; Isai. I, 16; Joan. VI, 27. — (2) Col. III, 9; Phil. II 12.

Itaque ipsum credere, quod est opus Dei jubet Dominus, ut nos ipsi operemur, ac per hoc jubet, ut Deo in hoc opere coopere-mur. Ad Colossens. III: *Exuite veterem hominem, et induite novum.* Ad Philip. II: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis* (2). Quid hoc est aliud, nisi cooperamini Deo salutem vestram in vobis operanti?

Respondet Calvinus lib. II. Instit. cap. 5. § 14. ista omnia loca nihil aliud sibi velle, nisi non moveri nos a Deo, tamquam stipites, ac truncos, sed tamquam homines mente, et ratione præditos, quamvis necessario moveamur, nec possimus aliud agere, quam id, quod Deo movente agimus. At si Deus ita nos movet, ut non sit in nobis agere, et non agere, quorsum illa præcepta et suasiones? Nam etiam ignis, cum applicatur ad ligna, non movetur instar trunci, nihil agentis, vere enim ignis comburit ligna; et equus, cum ei adhibentur calcaria, non movetur instar stipitis, vere enim equus ambulat; et tamen quis, nisi amens, imperaret, vel suaderet igni, ut combureret, aut equo, ut ambularet? At ignis et equus, non sunt mente et ratione præditi. Cur igitur nemo imperat, aut suadet homini, ut velit esse beatus, aut miser? nisi quia novit, non posse hominem mente et ratione præditum, non amare beatitudinem, aut non odisse miseriam, cum ad hæc arbitrii humani non sit ulla libertas. Præcepta igitur et suasiones, non solam rationem, sed libertatem etiam in hominibus esse demonstrant.

Deinde, quando Scriptura dicit: *Deus operatur velle et perficere.* Et: *Deus operatur omnia in omnibus.* Et: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Et cum nos Deo dicimus: *Converte nos Deus salutaris noster,* adversarii contendunt ejusmodi testimoniis significari, Deum vere et proprie agere, et operari nostras actiones bonas. Cur igitur, quando Scriptura dicit: *Operamini vestram salutem. Facite vobis cor novum, et spiritum novum; Convertimini ad me, et convertar ad vos;* non patiuntur, ut eodem modo ista eadem vocabula intelligantur, et nos vere, proprieque dicamur, operari nostras actiones bonas? Est ne hoc Verbum Dei sequi, an illud pro arbitrio ad proprias hæreses detorquere? Tertium testimonium sumitur ex locis

illis, quæ docent, nos a Deo juvari in operibus pietatis. Non enim proprie juvari dicitur est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Psal. XXVI: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Psal. LXIX: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Ad Roman VIII: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus* (1). Quo loco agitur de oratione, quæ est actio maxime pia et salutaris, quam Spiritus sanctus operatur in nobis, dum facit nos orare, ac genere, sed quia non facit id solus, sed nobiscum, ideo posuit Apostolus illud verbum: «Adjuvat,» quod in Græco multo est significantius. Nam συναντιλαμβάνεται, qua voce B. Paulus utitur, proprie dicitur de iis, qui quasi e regione manibus capiunt onus, ut laboranti succurrant. Denique ut alia multa præteream I. ad Cor. XV. Plus, inquit Apostolus, omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum (2).

Ad hunc postremum locum respondet Calvinus his verbis in lib. II. Instit. cap. 3. §. 12. «Ad hanc, inquit, festucam, mirum est, tot non malos alioqui homines impigisse. Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, ut se consortem laboris faciat. Quin potius totam laboris laudem uni gratiæ transcribit ista correctione. Non ego, ait, sum is, qui laboravi, sed gratia Dei, quæ mihi aderat. Fefellit autem eos locutionis ambiguitas, sed magis præpostera versio, in quavis Græci articuli prætermissa fuit. Nam si ad verbum reddas, non dicit, gratiam sibi fuisse cooperatricem, sed gratiam, quæ sibi aderat, omnium fuisse effectricem». At nisi Calvinus novum textum Græcum sibi cudat, ac nobis obtrudat, non persuadebit unquam istam expositionem suam iis, qui aliquid norint. Nam Græca verba hæc sunt: ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ ἐν ἐμοί, quæ ad verbum hoc sonant: Sed ipsa gratia Dei, quæ «mecum» videlicet «est». Illud autem, «mihi aderat», vel «in me erat», viderit Calvinus unde sumpserit. Certe ἐν ἐμοί, non potest simplicius reddi, quam «mecum», ut vulgatus interpret reddidit. Cur autem non dixit Apostolus, gratia quæ est in me, sed, gratia quæ mecum est, nisi ut ostenderet, gratiam nobiscum laborare, non so-

lam operari? Respexit enim ad illud Sapient. IX: *Mitte illam de caelis sanctis tuis, ut mecum sit, et mecum laboret* (3). Quare S. Augustinus, cui cedere, velit nolit, debet Calvinus in lib. de Gratia et libero arbitrio cap. XV. «Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo, quid clarius?»

Quartum testimonium sumitur ex iis locis, quæ docent, hominem a Deo vocatum, posse non venire. Nam cum per gratiam Dei possit venire, ut adversarii concedunt, si possit etiam gratiæ resistere, et non venire, sine dubio liberi arbitrii esse convincitur. Proverb. I: *Vocavi, et renuistis.* Matth. XXIII: *Volui congregare filios tuos, et nobuisti.* Joan. VI: *Vultis et vos abire?* Actor. VII: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Apocal. III: *Ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum* (4).

CAPUT XI.

Probatum libertas arbitrii in operibus pietatis ex traditione Patrum

Accedat nunc ad rem eandem comprobendam traditio veteris Ecclesiæ. Et quidem Joannes Calvinus in lib. Instit. cap. III. §. 11. fatetur, nostram sententiam a multis jam sæculis in Ecclesia tradi, credique cœpisse. «Ac voluntatem, inquit, movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum, et creditum est, ut nostræ sit electionis, motioni Dei obtemperare, aut refragari etc.» Ista autem multa sæcula intelligit, ut minimum spatium annorum supra mille et centum floruit. Itaque, vel adversario teste, sententia nostra non est a Scholasticis Theologis introducta, sed in veteri, et vera Christi Ecclesia celebrata, quod unum argumentum prudentibus hominibus satisfacere debuisset.

Quid, quod non solum ab annis mille et centum, sed etiam mille et quadringentis atque adeo ab initio Ecclesiæ eadem hæc

(1) Psal. XXVI, 9; Psal. LXIX, 2; Rom. VIII, 26. — (2) I Corin. XV, 10. — (3) Sap. IX, 40. — (4) Prov. I, 24; Matth. XXIII, 37; Joan. VI, 68; Act. VII, 51; Ap. III, 20.

sententia doceri, ac recipi cepit? Nam S. Ignatius in epist. ad Magnesianos, quem locum libro superiore citavimus, non solum in moralibus, sed etiam in piis et sanctis operibus liberum arbitrium agnoscit, cum ait: « Si quis pietati studet, Dei homo est, si impie agat, diaboli est, non id factus per naturam, sed per animi arbitrium. »

Et clarius S. Irenæus lib. iv. cap. 72. sic loquitur: « Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, et suæ potestatis arbitrium homini servavit Dominus, dicens, secundum fidem tuam fiat tibi. Propriam fidem hominis ostendens, quoniam suam habet sententiam. Et propterea is, qui credit ei, habet vitam æternam, et qui non credit filio, ira Dei manet super eum. »

Item S. Cyprianus lib. iii. ad Quirinum, hoc argumentum præfixit capiti 52. credendi, et non credendi libertatem in arbitrio positam. Idem lib. vi. epist. 3. citans illud Joan. vi. *Vultis et vos abire?* « Servat, inquit, Domidus legem, qua homo libertati suæ relictus, et arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse mortem appetit, vel salutem. »

S. Hilarius lib. i. de Trinitate: « Esse, inquit, filios Dei, non necessitatem esse voluit, sed potestatem. »

S. Hieronymus in comment. ad cap. v. Matth.: « Ergo, inquit, non est natura filius, sed arbitrio suo. »

S. Ambrosius de operibus pietatis loquitur, cum ait lib. ii. in Luc. cap. 12: « Vides, quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis? »

S. Joan. Chrysostomus hom. 19. in Genes. de justificatione, disserens: « Necessitatem, inquit, non imponit, sed congruis remediis apposis totum in ægroti sententia jacere permittit. »

S. Coelestinus Papa in epist. ad Gall. cap. 12: « Nec otiosa, inquit, in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei. »

S. Augustinus in singulis tomis operum suorum hanc veritatem docet. Tomo primo, lib. i. *Retract.* cap. 22: « Nisi quisquam voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. Quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus docet, ubi ait, aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum, quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe ho-

minis est, mutare voluntatem. Sed ea potestas nulla est, nisi detur a Deo, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam nostra voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino. Eo modo ergo dat potestatem. » Itaque ex sententia B. Augustini, voluntas præparata per gratiam prævenientem, in potestate sua habet stare, vel cadere, Deum sequi vocantem, vel eidem pro arbitrio refragari. Atqui hoc ipsum est, quod Calvinus falsum esse contendit.

Tomo secundo, in epist. 89. quæst. 2: « Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur quia non tollitur. » Et in epist. 106: « Proinde in iis, qui per electionem gratiæ salvi fiunt, adjutor Deus operatur, et velle, et operari. » Observa hoc loco, Deum dici adiutorem, etiam dum operatur in nobis velle. Hinc enim sequitur, ut in ipso etiam actu volendi, id est, in ipsa conversione prima liberi simus. Nam (ut paulo ante ex eodem Augustino citavimus) « Liberum arbitrium non tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur. » Rursus in eadem epist. 106: « Gratiæ meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, comitante non ducente; pedissequa, non prævia voluntate. » At non dicitur comes homini baculus, quo innititur, aut jumentum, quo vehitur, sed alter homo, qui libere cum illo ambulat, aut eum sequitur præeuntem. Hunc locum, cum non posset Calvinus corrumpere, maluit reprehendere, quam recipere, ut videre est in lib. iv. *Institut.* cap. 3. §. 7.

Tomo tertio, in lib. de spiritu et littera ad Marcellinum cap. 34. « Consentire vocationi, aut non consentire, propriæ voluntatis est. » Piget refellere hoc loco nugæ Kemnitianas: « Augustinus, inquit, dicit, consentire et dissentire propriæ, adverbialiter, esse voluntatis, sicut dicimus, intelligere proprium esse mentis, velle voluntatis. Illa sententia postea ita depravata est. Consentire in spiritualibus propriæ esse voluntatis, hoc est, ex propriis viribus. » At quis nostrum exponit, propriæ voluntatis, id est, ex propriis viribus? non hoc dicimus, sed, consentire, ad voluntatem pertinere docemus, posteaquam præventa est a Domino, et sic accepit consentiendi potestatem. Deinde quis dedit Kemnitio facultatem commutandi nomina in adverbia? nam in omnibus codicibus legitur, propriæ non « propriæ. »

Denique sive propriæ, sive propriæ, legas, quis non videt, tribui hoc loco ipsi voluntati potestatem eligendi inter contraria, id est, liberum arbitrium propriæ dictum, si legantur, quæ paulo ante præcedunt? Nam opponit Augustinus consensum voluntatis nostræ vocationi divinæ, ac dicit, vocationem non esse in nostra potestate, sed consensio-nem esse nostræ voluntatis; ubi ipsa antithesis cogit, ut intelligamus consensum esse in potestate nostræ voluntatis: « Attendat, inquit, et videat, non ideo tantum istam voluntatem (credendi videlicet) divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est (nota, Kemniti, voluntatem credendi ex libero arbitrio esse) quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus: sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est. » Quid facit, Kemniti, illa particula adversativa, « Sed », nonne indicat, neminem habere in potestate, quid ei veniat in mentem, dum per gratiam prævenientem præparatur voluntas a Domino; tamen post eam præparationem habere plane in potestate, ut consentiat, vel dissentiat?

At, inquit, retractavit hunc locum Augustinus in lib. de prædest. Sanctor. cap. 3. ubi fatetur, in suis libris contineri errorem illorum, qui docent, prædicationi Evangelicæ nostrum esse proprium consentire. At in eo lib. loquitur de iis, qui docent, prædicationi Evangelicæ nostrum esse proprium consentire ex solis viribus naturæ, sine ulla præveniente gratia; quem errorem continent Augustini libri scripti ut (ipse ibidem testatur) ante suum Episcopatum, hic autem liber de spiritu et littera, scriptus fuit ab Augustino jam Episcopo, et post hæresim Pelagianam exortam. Sed nimis multa de hoc loco.

Tomo quarto, item lib. i. ad Simplic. quæst. 2. « Ut velimus, inquit, et suum esse voluit, et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quid apertius dici potuit? »

Tomo quinto, item lib. v. de Civ. Dei, cap. 10. « Si necessitas nostra, illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, manifestum est, voluntates nostras, quibus recte, vel

perperam vivitur sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus, quo primitus pertinet ipsum velle. Nam si volumus, est; si nolumus, non est. »

Tomo sexto, lib. ii. Actor. contra Felicem Manichæum cap. 4. « Cum ergo dicit (Dominus) aut hoc facite, aut illud, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus, facere arbores potest. Sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala. »

Tomo septimo, lib. 2. de peccator. mer. et remiss. cap. 5. « Conversos, inquit, Deus adjuvat, aversos deserit, sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat. » Nota, in ipsa etiam conversione nos adjuvari, ac per hoc etiam tunc habere liberum arbitrium, contra Kemnitium, qui gratiam adjuvantem non agnoscit, nisi in operibus, quæ fiunt post justificationem. Et infra: « Non ideo, inquit, de hac re, solis votis agendum est, ut non subinferatur ad bene vivendum nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui sponte aliquid conatur. » Et cap. 18: « Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, atque adjuvante, non possumus. »

Item lib. de natura et gratia cap. 32. loquens de justificatione: « Ubi quidem, inquit, operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos. »

Item lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 3: « Utrumque, inquit, nostrum est (velle scilicet credere et amare) propter arbitrium voluntatis, et utrumque datum est perspiritu fidei et charitatis. » Et cap. 5. « Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis, sed in electis præparatur voluntas a Domino. » Hic certe videmus, quam longe aberrant a vero, qui sentiunt, in hoc libro retractatum esse, quod scriptum fuerat in libro de spiritu et littera, consentire et dissentire propriæ voluntatis esse. An non apertius est credere, et non credere esse in arbitrio voluntatis, quam consentire, et non consentire esse propriæ voluntatis?

Item in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 15. « Ne autem putetur, nihil ibi facere homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: Nolite obdurare corda vestra. Et per Ezechielem: Projicite a vobis omnes impietates vestras. » Vides in ipsa prima

conversione locum suum habere liberum arbitrium?

Item in lib. de gratia Christi cap. 14: « Quis non videat, venire quemquam, aut non venire, arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest esse, nisi adjutum, si venit. » Et hic habes gratiam adjuvantem ad initium fidei.

Libro II. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. « Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor. » Et infra: « Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiutorio, et opere nostro. Nam quid est præparare cor, et os aperire, nisi voluntatem præparare? » Quid manifestius Calvinus, Kemnitiusque desiderent, omnino non video.

Tomo octavo, tractatu in titulum Psal. LXXI. prope finem: « Non erat, inquit, in potestate tua, ut non nascereris ex Adam; est in potestate tua, ut credas in Christum. »

Tomo nomo, tract. 72 in Joan. « Credenti in eum, qui justificat impium, deputatur ejus fides ad justitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum est opus Christi. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis. » Et infra: « Operanti in se Christo, cooperatur homo salutem æternam, ac justificationem suam. Cooperamur igitur Deo non solum, ut adversarii volunt, post justificationem, sed etiam in ipsa justificatione et initio fidei. »

Denique tomo decimo, serm. 13. de verbis Apostoli, post medium: « Videtis, inquit, quia nec ipsa conversio est sine adiutorio Dei. » Et infra: « Totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei; qui fecit te sine te, non te justificat sine te. »

S. Prosper, sectator Augustini ardentissimus, ac defensor acerrimus, in II. lib. de vocatione gentium, cap. 12: « Multis, inquit, qui jam iudicio rationis utuntur, ideo liberum est discedere, ut non discessisse sit præmium, et ut quod non potest, nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. » Potest igitur non cooperari Deo in se operanti homo, si velit, et ideo bene facit, et meretur cooperando, quia poterat non cooperari.

Idem in eodem lib. cap. 26. « Gratia qui-

dem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsiidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeratos modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia: Quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ. »

Vide etiam caput 28. in quo toto probat, posse eos, qui per gratiam Dei in Christum credunt, non credere, et eos, qui perseverant, a Deo recedere, et tandem ita concludit: « Igitur sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant, sic et qui nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et sicut illi in sua habent potestate, ut exeant, ita et isti in sua habent potestate, ne veniant. »

His testimoniis sanctorum Patrum, consonum est, quod Concilium Arausicanum canon. ult. declarat liberum arbitrium ita inclinatum et attenuatum esse per lapsum primi hominis, ut nemo credere in Deum, aut diligere Deum possit, nisi gratia eum, et misericordia divina præveniat. Ubi vides liberum arbitrium in actione credendi, et diligendi attenuatum quidem esse, non tamen extinctum; ac per hoc operari posse opera pietatis, si adjuvetur a gratia.

Idem decretum renovat ac repetit Concilium Valentinum cap. 6. quod Concilium in Gallia, tempore Lotharii celebratum est. Concilium item Toletanum IV. cap. 55. sententiam eandem his verbis expressit: « Sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratia Dei, propria mentis conversione quisque credendo salvatur. » Ubi notanda est comparatio libertatis in primo homine ad peccandum, cum libertate filiorum ejus ad conversionem et fidem, gratia Dei præveniente. Id enim comparatio postulat, ut sicut verum fuit liberum arbitrium, quo primus homo post diabolicam suasionem peccavit, ita verum sit liberum arbitrium quo posteri ejus, post vocationem divinam, convertuntur et cre-

dunt. Similia denique nostris temporibus sanxit Synodus Tridentina sess. 7. cap. 5. et can. 4.

CAPUT XII.

Probatur rationibus libertas arbitrii in operibus pietatis.

Superest, ut eandem veritatem rationibus comprobemus. Sed quoniam eadem rationes, quæ allatæ sunt in lib. superiore, ad confirmandum liberum arbitrium in actione morali, hic etiam locum habent, satis erit eas breviter attingere.

Primum igitur, si non esset homo liberi arbitrii in operibus pietatis, sequeretur, non peccare eos, qui nolunt credere in Christum, aut nolunt converti a peccatis, aut nolunt propter Deum bona opera facere. Deinde sequeretur, non esse laudandos, nec ullo præmio dignos eos, qui volunt credere, sperare, diligere, converti, propter Deum quidvis arduum et acerbum pati. Tertio, nullum haberent locum in ejusmodi rebus præcepta, consilia, cohortationes, admonitiones, reprehensiones, exempla, aliaque id genus. Quarto, tolleretur e medio omnis diligentia, atque industria in fide et pietate augenda et excolenda.

Hæc omnia esse vehementer absurda, ne ipsi quidem adversarii negare possunt. Sequi autem certissimum est, tum ex iis, quæ libro superiore disputata sunt, tum etiam quia non alia de causa bruta animantia non peccant, nec laude aut præmio digna sunt, nec præcepta vel consilia illis dantur, nec denique diligentia vel industria eis convenit, nisi quia libero carent arbitrio. Pari ratione nulla alia causa est, cur homines in iis actionibus, quæ ad finem ultimum pertinent, quales sunt velle bonum, et fugere malum, in genere, neque peccare, neque bene mereri possint, neque præceptis, aut consiliis egeant, nec diligentiam aut industriam ullam adhibere teneantur, nisi quoniam libertas arbitrii non est circa finem, ut tertio libro demonstratum est.

Denique, cur homines vulgo non peccant, quia non prophetant, aut linguis non loquuntur, aut miracula non faciunt? cur nemo præmium meretur, quia prophetat, aut lin-

(1) Ezech. XXXVI, 26.

guis loquitur, aut miracula facit? cur nemo præceptis, consiliis, hortationibus incitat passim homines ad prophetandum, ad loquendum linguis, ad miracula facienda? Cur nemo diligentiam, industriamve suam in eo ponit, ut in his actionibus excellat? nisi quoniam non sunt hæc in potestate liberi arbitrii, quamvis ab hominibus, ut instrumentis Dei, per rationem et voluntatem, per linguam et manus exercentur?

Cum igitur adversarii velint, non minus nos ex necessitate operari in iis, quæ ad conversionem, fidem et pietatem pertinent, quam ex necessitate determinati sumus ad bonum sectandum, et malum fugiendum, et non magis nos liberos faciant in iis, quæ pertinent ad conversionem, fidem et pietatem, quam ad dona prophetiæ, linguarum, et miraculorum, expedit, si possunt, cur peccata et bona merita, præcepta et consilia, diligentiam et industriam in conversione, fide, pietate, locum habere consentiant.

CAPUT XIII.

Diluuntur objectiones adversariorum, depromptæ ex divinis litteris.

Multa proferunt adversarii testimonia divinæ Scripturæ, quæ nos ordine diluimus.

Primo loco proferunt illud Ezech. XXXVI: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum, spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in præceptis meis ambuletis* (1). Observant cor lapideum, ideo nominari malam hominis voluntatem, quoniam sicut in lapide nulla est cooperatio, si debeat verti in carnem, sic etiam nulla est cooperatio voluntatis humanæ, in sua mutatione, de mala in bonam, et ideo non dixisse Deum, faciam, ut in præceptis meis ambulare possitis, sed faciam, ut ambuletis. Qui enim cor carneum habent, illi soli ambulant in præceptis, qui habent lapideum, non ambulant.

Respondeo: liberum arbitrium non est cor lapideum, neque carneum, sed vis quædam media et naturalis, quæ formam lapidis, id est, peccati duritiem et formam carnis, id est, gratiæ teneritudinem recipere potest. Sic loquitur S. Augustinus in lib. de Spiritu et littera cap. 33. ubi dicit, liberum arbitrium